

Non incongrue forsan hoc loco de aliis quoque sub aquis navigandi artificiis diceremus. Sed , quando in omnium fere manibus sunt , quæ modo laudatus P. Schottus l. paulò antè cit. Syntag. II. Pragm. XV. & seqq. itemque Techn. Curios. Lib. VI. de Navi Drebelliana , Mersenniana , Melitensi , Roterdamensi , Antwerpiana &c. fusè differit, ea saltem his addere duximus ope- „ ræ pretium, quæ habet *Honoratus Fabri* scient. Phys. Tract. I. Lib. I V. Prop. „ CXXIII. Construi potest navigium, quod aliquando aquis, more solito, „ innatet, alias verò prorsus immergatur , rursumque ad libitum naucleri „ emergat : Hoc navigii genus ante aliquot annos , non sine hominum „ stupore prodiit, cuius artificium in eo positum est, quodd modo gravius mo- „ dolevius evadat ; gravius certe cum appensa pondera ex laqueari navigii „ in libero aere pendent ; levius verò cum eadem pondera demittuntur in „ mare, per foramina saccis coriaceis instructa , qui scilicet modo stringi, mo- „ dolaxari possint &c.

AUCTARIUM XI. TENTAMINIS.

AD III. PHÆNOM.

Non est dissimulandum hic , in explicandis potentiarum viribus nos ma- gnam partem esse sequutos Ingeniosissimi Nostri WEIGELII dedu- ctionem, quippe planam & facilem, adeoque præsenti nostro Instituto accom- modissimam , quam videre est in parte altera Tractatus Germanici quem inscripsit, Vorstellung der Kunst- und Handwercke/ &c. quæque (quod modum, non fundamenta , deducendi attinet) parum recedit à deductione Nobilissimi Cartesii, cuius Explicationem Machinarum alioqui sparsim in ipsius Epistolis etiam obviam , ante hos annos quinque, Vir Clarissimus , Joh. Daniel Major Phil. & Med. D. Kiliae Holsatorum edidit. In qua quidem duo præcipue sunt, Ingenio Cartesii propria ; alterum est hoc peculiare & generale principium, ejus judicio totius Staticæ universale fundamentum : *Nec majorem, nec mi- norem vim requiri ad aliquid corpus grave certam ad altitudinem elevan- dum, quam adelevandum alterum minus grave ad altitudinem tanto ma- jorem, quanto ipsum minus grave est; vel adelevandum aliud gravius ad altitudinem tanto minorem* e. g. vim eandem quæ potest pondus aliquod centum librarum ad duorum pedum altitudinem elevare , posse etiam ducen- tarum librarum pondus ad pedis unius altitudinem elevare , aut vero quin- quaginta librarum ad quatuor pedum altitudinem, & sic de cæteris, siquidem illis legitimè applicetur h. e. uti in Part. I. Epist. L X X I V. porrò mentem suam explicat , unam eandemque virtutis quantitatem quæ ponderi alicui ad pedis unius altitudinem attollendo sufficit, non sufficere (NB.) eandem nu- mero